

cælo descendit, quem qui manducaverit, non morietur in æternum. Beatus est enim qui manducet panem in regno Dei, » ait Rabanus.

31. FILI, IN MANSUETUDINE SERVA (Græce est, δέξασθαι, id est, honora, glorifica) ANIMAM TUAM, ET DA ILLI HONOREM SECUNDUM MERITUM SUUM. — *q. d.* Da illi honorem quem meretur, Græca, κατὰ τὴν ἀξίαν ἀδελφῆς, id est, juxta dignitatem ejus, vel pro ejus dignitate; Vatablus: *Fili, per mansuetudinem gloriam animæ tuæ concilia, et eam honore quem meretur affice*; Syrus: *Fili mi, in religione honora animam tuam, et da illi suavitatem, juxta id quod necessarium est illi, q. d.* Suaviter et leniter tracta animam tuam, ita et apud te, et apud alios plus proficies. Unde viri sapientes et pii docent, hominem non debere indignari animæ suæ, cum in aliquos defectus labitur; sed leniter et suaviter eam corripere ac instruere potius, et dirigere, quam reprehendere: hæc enim lenis correptio, magis quam acris eam penetrabit et movebit ad emendationem.

Jam sententia hæc Siracidis primo, plane et simpliciter, ut sonat, accipi potest, *q. d.* Stude mansuetudini; hæc enim honorem tibi conciliat, hæc est decus et gloria animæ tuæ, quia in ea consistit animæ pax et quies, æque ac sanctitas. Hunc sensum in tres secat Palacius: *Primus*, inquit, convenit cum præcedentibus et sequentibus, *q. d.* Fili, si pauper fueris, serva te mansuetum, non iracundum aut blasphemum. Nam iracundia deiecit hominem gradu hominis: ne igitur tu te dejeceris, sed in hominis dignitate servabis. Quod si ex ira rem opereris, peccabis in animam tuam eam necessariis defraudando. Quod malum si tu tibi intuleris, quis avertet? si tu te ita dedecore afficis, quis decorabit? *Secundus* sensus: « Serva te, fili, tranquillum et imperturbatum. Cum enim anima tua excelsior sit rebus aliis, indignum est te ab eis turbari aut pollui. Si vero tu te turbaveris aut pollueris, quis te justum existimet? » *Tertius* est: « In patientia vestra possidebitis animas vestras. Igitur impatiens amittit se. Non ergo dat honorem animæ suæ. Quod si tu tibi contumeliam irrogas, auferens te tibi, a quo vis honorari? » Hæc Palacius. Rursum honor animæ debitus est, ut illa quasi regina imperet corpori et sensibus, quasi subditis et ancillis. Nam, ut ait Aristoteles *Polit.*: « Anima naturaliter dominatur corpori, sicut dominus servo; cum autem hoc dominium stat, omnia bene. » Et Plato apud Stobæum, *serm.* 21: « Quæ dominantur, inquit, præ illis quæ serviunt semper sunt honoranda. Quapropter merito post dominantes deos, et eos qui illos sequuntur, animum nostrum colendum, secundoque loco habendum jubeo. Nemo autem recte animum suum honorat, nisi qui vitii fugatis pietatem et justitiam colit. » Qui enim vitii servit, eorum dehonestat, et similem brutis, imo demonibus, efficit.

Porro S. Fabianus, *epist.* 2, sic legit: « Fili, in

mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem, cui honor competit. » Indeque probat honorandos esse præpositos, non autem reprehendendos a subditis: nam, ut ait S. Bernardus *serm.* 85 in *Cantic.*: « Modestia animi probat virum sapientem, constantia virum virtutis ostendit. »

Secundo Rabanus: « In mansuetudine, ait, animam servat, qui per humilitatem opera exercet pietatis; et dat illi honorem secundum meritum suum, qui se spe futuræ mercedis pro studio consolatur justis laboribus: quia Deus reddet singulis secundum opera sua. » Et Lyranus: « Serva, ait, in mansuetudine, id est, moderatione et securitate virtutum, animam tuam, » subjiciendo ei carnem et appetitum sensitivum.

Tertio, solenter et apposite Jansenius hæc, ut cum præcedentibus et sequentibus connectat, pressius accipit, arctatque ad studium laborandi, ut hoc labore quis sibi victum paret, quasi hic radicem inertiae, scilicet superbiam, et ex ea nascentem impatientiam, succidat per contrariam humilitatem, et ex ea nascentem mansuetudinem, *q. d.* Noli in laborando ob laboris molestiam et difficultatem fieri impatiens, ideoque piger et tardus; sed humiliter et mansuete laborem omnem suscipe et capesse, quia per eum glorificabis animam tuam, dando illi honorem, id est, sustentationem et alimoniam, quæ ei pro sua dignitate debetur. *Honor* enim in Scriptura sæpe alimoniam significat, ut eum dicitur: « Honora patrem et matrem, » *honora*, id est, cole, obedi, et ale, si indigent. Et: « Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore (id est, duplici stipendio) digni habeantur, » *I Timoth.* 5, 17. Multi enim nolunt laborare, eo quod laborem se suaque dignitate indignum putent. Hoc refellit Siracides, dicens laborem esse honorem et gloriam animæ, ejusque dignitati congruum, imo debitum; quia per laborem sustentatur vita animæ in corpore, ut decenter vivere, vestiri et conversari possit: quæ omnia succiduntur per pigritiam, quæ facit hominem egere omnibus, et fame contabescere, ut anima in corpore pereat et intereat, quæ summa est animæ indignitas, æque ac injuria et calamitas.

32. PECCANTEM IN ANIMAM SUAM QUIS JUSTIFICABIT? ET QUIS HONORIFICABIT EXHONORANTEM ANIMAM SUAM? — Græce ζῶν ἀποῦ, id est, vitam suam. *Primo*, juxta primum sensum præced. vers. datum, sensus est, *q. d.* Serva animam tuam in mansuetudine, ut iræ cæterisque animi passionibus jam sedatis domineris, in quo, uti dixi, non est decor animæ tuæ consistit. Nam si per superbiam, iram, invidiam, impatientiam, etc., pecces in animam tuam, quis te justificare, et justum pronuntiare, vel juste a culpa excusare poterit? rursus, quis te honore dignum censebit, cum tu ita per vitia dehonestes et conspurces animam tuam? Unde Tigurina vertit: *Quis justum dicat*

eum qui peccat in animam suam? aut quis vitam suam inhonorem honoret? alii: Quis honorabit eum qui dedecorat vitam suam? Quot enim peccata perpetrat, tot dedecora conjicit in animam vitamque suam. Syrus: *Fili mi, eum qui condemnat animam suam, quis justificabit? aut quis honorat eum qui contemptibilem reddit animam suam? Unde Rabanus: « Exhonorat, inquit, animam suam, qui peccatis illam polluit; et quis justitiæ illi tribuit meritum, quem constat suæ salutis habere neglectum? Omnes enim nos oportet stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum. »* *Secundo*, juxta secundum sensum vers. præced. datum, *q. d.* Piger et otiosus, qui laborando non vult sibi victum parare, peccat in animam suam, quia eam famis et mortis periculo exponit: quis ergo eum justificare aut excusare poterit? Rursus idem dehonestat animam sua acedia, otio et superbia; quis ergo eum honore dignum censebit? *q. d.* Superbus et gloriosus per superbum otium, quo laborem manuum quasi se indignum detrectat, ambit honorem et gloriam. At errat; cum enim ipse superbia et pigritia dehonestet animam suam, imo eam fame sinat contabescere, quis eum jure honorare, aut honore dignum censere poterit?

33. PAUPER GLORIATUR PER DISCIPLINAM ET TimoreM SUUM, ET EST HOMO QUI HONORIFICATUR PROPTER SUBSTANTIAM SUAM. — Pro *gloriatur* et *honorificatur*, græce est idem verbum δοξάζεται, id est honoratur, honore et gloria afficitur, *q. d.* Pauper honoratur ob morum disciplinam et timorem Dei, at dives honoratur propter opes et substantiam. Ergo potior est honor pauperis quam divitis, idque tanto, quanto potior est timor Dei omnibus mundi opibus. Ne ergo pauper tristetur, quod carens opibus, careat pariter honore mundano, quia honorem habet majorem et altioris ordinis, puta divinum ex timore Dei; vicissim dives non superbiat quod honoretur propter opes, quia exilis est hic honor, si ad honorem, quem parit timor Dei, comparetur. Unde Tigurina: *Pauper propter scientiam suam* (practicam, quæ in bene operando et juste vivendo consistit) *et religionem, gloriam adipiscitur, et dives ob divitias in honore est*; Syrus: *Est pauper qui honoratur propter sapientiam suam, et est dives qui in honore habetur propter divitias suas.* Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis*:

Opibus carente nil viro securius:
Spes ille totas in Deo fixas tenet.
Melior egestas improbe partis bonis.
Vix unquam acerba sustulit quemquam fames,
At certa crimen improbis mors est viris.

Idem, in carmine *De Beatitud.*:

Felix qui Christum fortunis omnibus emit;
Felix qui pectus tradidit omne Deo.

Idem, tract. *De Vitæ itineribus*:

Nil autem hic firmum, prævidit Christus, ut esset,
Quo tua firmorum pectora tangat amor.

Contrarium est judicium mundi et mundanorum, qui felicitatem ponunt in rerum copia, infelicitatem in inopia; unde tanu quemque æstimant, quantas habet opes, juxta adagium quod citat S. Augustinus lib. *De Doctr. Christ.*: « Quantum habebis, tantus eris. » Et illud Juvenalis *Satyr.* 3:

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei.

Et illud olim celebre: χρηματα ἀνίη, pecunia vir.
Unde et Horatius lib. III *Serm.*, satyra 2:

Omnis enim res
Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam rex.

Et Menander:

Epicharmus quidem deos esse dicit
Ventos, solem, terram, aquam, ignem, stellas:
Ego autem utiles deos esse arbitror
Argentum nostrum et aurum.
Nam illos si collocaveris in domum,
Pete quidquid voles, assequeris omnia

Verum melius sapere Philosophi, qui paupertatem divitiis æquarunt, imo antetulerunt, tanquam sapientiæ et virtutis instrumentum. Unde Crates abiecit aurum, ut securius philosopharetur; Archelaus paupertatem aiebat esse matrem frugalitatis, continentiae, modestiæ, adeoque omnis virtutis gymnasium. Diogenes dicitabat eandem omnia docere, et virtutem esse quæ per se disceatur, cum opulenti multis egeant præceptis, ut temperanter vivant, modestiam servant, corpus exerceant, etc. Ita Stobæus *serm.* 95.

34. QUI AUTEM GLORIATUR IN PAUPERTATE, QUANTO MAGIS IN SUBSTANTIA? ET QUI GLORIATUR IN SUBSTANTIA, PAUPERTATEM VEREATUR. — Hic versus rursus facit ad solandam pauperum depressionem animi, et ad retundendum divitum fastum, *q. d.* Pauperis honor est solidus, quia situs in solido timore Dei, ideoque facile crescere et augeri potest additis ei divitiis. Sæpe enim Deus timentes se ditat; quare tunc duplici titulo accedet ei honor, scilicet, titulo timoris Dei, et titulo opum. Sicut enim imago pulchra magis pulchrescit, si limbo aureo circumdetur: sic et virtus in se pulchra magis pulchrescit, si opibus honestetur: quare tunc quasi duplex viro accedit decor et honor; uti contigit Danieli, cum is ob virtutem et sapientiam præpositus fuit Babyioni, honoratus a rege omnibusque principibus, *Dan.* 11, 48. Dives vero carens timore Dei, imo fastui et luxu vacans, vero honore caret, et vano dulciscitur potitur, qui situs est in copia opum; vanum enim esse liquet, ex eo quod dives facile pauper effici possit, ut in dies fieri videmus; quare tunc omni honore, etiam vano, qui situs erat in opibus, destituetur.

Alludit ad illud *Ecclesiastæ* vii, 12 : « Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit et pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. » Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent : *Qui vero pauper honoratus est, quanto dives esset idem honoratior? et qui infamis est in divitiis, quanto foret in paupertate magis?* Ita Tigurina. Syrus : *Qui honoratur in paupertate, in divitiis suis quanto magis? et qui contemptibilis (vel illecebrosus et voluptuosus) est in paupertate sua, in divitiis suis quanto magis?* Quæ verba alium innuunt sensum, q. d. Pauper, si timeat Deum, honoratur in paupertate sua : idem, si fiat dives, honorabitur magis. At pauper qui non timet Deum, imo sua prodigit vacando veneri et ventri, inhonoratur in paupertate sua, et multo magis inhonorabitur, si fiat dives; quia per divitias fiet intemperantior, insolentior, superbior, itaque majus odium et probrium sibi accerset. Complutenses tantum habent : *Qui honoratur, vel glorificatur, in paupertate, quanto magis in substantia?*

Pauperes ergo solentur se his verbis, quibus Tobias solatus est se et filium, dicens cap. iv, vers. 23 : « Noli timere, fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. » Et illis S. Jacobi cap. ii, 5 : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit diligentibus se? » Et illis Christi : « Pauperes evangelizantur. » Et : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, » *Matth.* v, 3. Et illis Davidis de Christo : Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea, » *Psal.* lxxxvii, 16. « Vulpes enim foveas habent, et volucres cæli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, » *Matth.* cap. viii, 20.

Præclare S. Leo, serm. 4 in *Quadrages.* : « Semper dives, inquit, est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet, quam quod non habet; nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. » Et Salvianus Massiliensis : « De illis, inquit, qui expediti ab omnibus sarcinis Salvatoris viam sequuntur, et Dominum Jesum Christum, non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta dixit : Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Vos autem non aliter quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Dei imagines colo, non aliter quam membra Christi suscipio. » Atque hi cum possessione sint divites, voluntate pauperes, possunt gloriari, tam in substantia, quam in paupertate; imo hæc est summa gloria, divitiis per contemptum dominari, at fecit Alethius gener S. Paulæ, uti dixi vers. 26; item Pammachius ejusdem ge-

ner, cujus proinde gloriam ita celebrat S. Hieronymus epist. 26 ad Pammachium : « Non est pauperum virum nobilem, disertum, locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis, adherere pauperibus, rusticis copulari, de principe vulgum fieri; sed quanto humilior, tanto sublimior est : lucet margaritum in sordibus, et fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat. » Et mox : « Antequam Pammachius Christo tota mente serviret, notus erat in senatu; sed multi alii habebant insulas proconsulares, totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos præcedebat alios dignitate, sed et alios sequebatur : quamvis clarus honor, vilescit in turba; et apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident : at nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, mirantur; miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat. » Mortua enim Paulina uxore, S. Paulæ filia, ex Consule Romæ fecit se monachum, æque ac S. Paulinus, Alethius et alii isto ævo, quorum mater et antesignana fuit S. Paula, discipula S. Hieronymi. Unde de eodem paulo ante : « Nostris temporibus, inquit, Roma possidet quod mundus ante nescivit. Tunc viri sapientes, nobiles, potentes Christiani, nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis, ἀρχισπύργος monachorum. » Et post nonnulla : « Quis enim crederet ut consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret? »

Anagogice Rabanus : « Pauper, inquit, est, qui in timore Domini, et observantia veræ religionis totam gloriam suam statuit; de quo Paulus : Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Qui autem gloriatur in paupertate sua, quanto magis in substantia? Ille autem qui in tribulationibus gaudet, in necessitatibus, in angustiis nunc pro Christo, quanto magis gaudebit, quando pervenerit ad retributionem futuram, et ad divitias veras quæ electis Dei servantur in regno cælesti? Qui autem gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. Hoc est, ille qui totam fiduciam suam ponit in terrenarum rerum abundantia, paupertatem futuram vereatur, memoretque semper illam Evangelicam parabolam de divite purpurato et paupere Lazaro : quomodo ille de gloria temporalis in tormenta projectus est æterna; iste autem de miseria præsentis vitæ, ad gaudia conscendit sempiterna. De quo et per Jacobum dicitur : Gloriatur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua; quia omnis qui adversa humiliter pro Domino suffert, sublimiter ab illo regni præmia percipiet. E contrario autem dives in humilitate sua gloriatur : quod per ironiam dicitur; quando gloriam suam, quæ de divitiis

superbiebat, et pauperes despiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam esse conspexerit. »

Mystice, cum totum hoc caput impetat et exagitet superbos et superbiam, hæc accipi possunt de paupere, sed humili; ac divite, sed superbo ob suas virtutes, bona opera et merita, q. d. Melior est peccator pœnitens qui pauper est meritis, sed dives humilitate, quam justus dives meritis, sed iis superbiens. Hoc est quod vulgo dicitur : « Melior est peccator humilis, quam justus superbus. » Nam ille humilitate in meritis crescit, hic superbia decrescet, imo a Deo desertus labetur in peccatum mortale, quo omnia merita perdet, fietque pauperrimus. Id ita liquet in parabola Publicani humilis et Pharisæi meritis superbi, quam recenset Christus *Lucæ* xviii, 10 et seq. Publicanus enim confitens, dicensque : « Deus, propitius esto mihi peccatori, » meruit audire a Christo : « Dico vobis : Descendit hic justificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » De quo S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* xvii : « Pharisæus, inquit, gratias recte egit, sed perverse se super Publicanum extulit; civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo et largiendo servavit. » Et paulo post : « Unde magno oportet et bona semper agere, et ab ipsis nos bonis operibus caute in cogitatione custodire, ne, si mentem elevent, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem exstinxit, occubuit. Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subjiciunt superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prostermit moritur, qui de culpa quam superat elevatur. »

Quocirca idem S. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap.

xxvi, sapienter docet eunti in cælum imitandos esse viatores, qui non quantum viæ confecerint, sed quantum conficiendum restat, semper considerant, et præ oculis habent. Hinc Christus detonat in Angelum Laodicæ : « Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus, » *Apocal.* iii, 16. Audi S. Chrysostomum hom. 5 *De Incomprehensibili Dei natura* : « Atque ut plenius intelligas quam sit bonum nihil magnum de se opinari, finge animo bigam duplicem, quarum sub altera virtus juncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illam peccati virtutem facile anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed conjugatæ humilitatis facultate; contra bigam alteram virtutis retardari et vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiam mole ac pondere. Ut enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cælum pervenit : sic superbia præ nimio suo pondere, ac intolerabili onere suæ molis prævalet, adeo ut etiam levissimam illam et supernam virtutem vincat, deorsumque versus facile detrahat. » Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Parmen.*, non longe a fine : « Publicanus, ait, humilis, hominem se esse cognoscens, sic rogavit dicens : Propitius esto mihi peccatori; sic justificari meruit. Sic superbia in Pharisæo magistro vestro de templo damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. » Quocirca prudenter S. Bernardus serm. 13 in *Cantic.* : « Magna, inquit, et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilis judico. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præcedenti egit de superbia, nunc hoc capite agit de opposita illi virtute, scilicet humilitate et modestia.

Primo igitur, a vers. 1 usque ad 11, sex modestiæ modos et species assignat. Nam docet sapientem esse humilem et modestum in pulchritudine et statura, in vestitu, in honore, in judicio et vituperio, in responsione et loquela, in multis negotiis et opibus. Secundo, a vers. 11 usque ad 31, duos ad eam dat stimulos, scilicet primum, vers. 10 et seq., quod omnia sint Dei, qui cuique suam sortem bonam vel malam, divitias vel paupertatem, pro sua sapientia et beneplacito distribuit. Secundo, vers. 20 et seq., quod cuique instet mors, in quo Deus cuique pro meritis præmium rependit. Docet ergo non tam a labore hominis, quam a Dei manu et munere expectandas esse divitias, æque ac paupertatem, sapientiam, scientiam, dilectionem cæteraque omnia, ac præsertim retributionem meritorum cujusque in hora mortis. Tertio, a vers. 31 usque ad finem, docet in domum non esse recipiendos hospites dolosos, superbos, malitiosos et alienigenas. Recitat magnam hujus capitis partem juxta Latinam Vulgatam, pene ad verbum Lucius Papa et Martyr, epist. 1, qui fuit coævus Origeni, vixitque sub Gallo et Volusiano Imper. anno Domini 254. Unde colligas quam antiqua et sincera sit Latina versio Ecclesiastici. Estat inter Decretales Pontif. tom. I.

1. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum